Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 303
Quelle:
Copyright:

gentem ſub cælo. in qua chriſtiani non habeantur. Nam et in goc et in magoc. quæ ſunt gentes hunorum. quæ ab eis gazari (Chazari) *uocantur. iam una gens quæ fortior erat ex his. quas alexander conduxerat. circumciſa eſt. et omnem iudaiſmum* (turciſmum?) *obſeruat. Bulgarii quoque qui et ipſi ex ipſis VII. gentibus ſunt. cottidie baptizantur.* Atqui *Bulgarorum* ad Sacra chriſtiana converſionem Scriptores magno conſenſu ad Seculum IX. inclinans reponunt. Addo locum de agro figuli *Matth.* c. XXVII. v. 7. Ad quem ſic noſter: *Modo idem ipſe locus hoſpitale dicitur francorum. ubi tempore karoli* (M.) *uillas habuit, concedente illo rege* (Aarone Raſchidio) *pro amore Karoli. Modo ſolummodo de elemoſina chriſtianorum uiuunt et ipſi monachi et aduentantes.* Qui locus ſatis indicat, non adeo multum temporis inter *Caroli* M. mortem et haec ſcripta effluxiſſe.

CXI. VIII. B. 7

107 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 188. f. luculente ſcriptus et rubricis diſtinctus, optimaeque notae continet vaſta *Commentaria in Evangelium S. Matthaei*, quae in tergo thecae inſcribuntur *Remigio Monacho Antiſſiodorenſis Coenobii O. S. B.* Autori plurium Operum exegeticorum in Scripturam Sec. IX. cui ejusmodi Commentaria poſt *Trithemium*, *Sixtumque Senenſ.* tribuunt *Arn. Wion* in *Ligno vit.* P. I. L. 2. qui Exemplar mſ. *Venetiis* in *Bibl. S. Georgii*, *Majoris*, *Bern. Pezius* in *Diſſert. Iſagog. ad Theſ. Anecdot.* qui ſimile in *Bibl.* Electoris *Monacenſi* vidit, *J. I. Friſius*, qui in *Bibl. Geſneri* ad noſtrum hunc Codicem adpellat. Verum, ſi Commentaria iſta *Remigio* tributa, ut *Wion*, *Pezius*, et nuper *Ang. M. Bandinius* T. I. *Catal. Bibl. Laur. col.* 632. teſtatus eſt, *Prologum* ſic ordiuntur: *Admonendi ſumus, ut ſpiritale opus ſpiritali intentione aggrediamur* &c. ſique Opus ipſum teſte *Bandinio* ita incipit: *Initium eſt inchoatio, vel alicujus rei principium, quaſi primum caput* &c. neceſſe eſt, ut aut illorum Codices, aut noſter alium ſibi autorem quaerant, quam *Remigium*. Noſter enim Codex poſt *Lemmata Capitum* litera quadrata rubra ſic *Prologum* auſpicatur: *In Nomine. Altipotentis. Dei et Domini. Noſtri Jheſu Chriſti. Incipit Tractatus. In Evangelium. Matthei Evangeliſtę. Diſertiſſimo. ac Luculentiſſimo. Digeſtus. Sermone. De Eo quid ſit Evangelium et de Nominibus IIII. Evangeliſtarum qui Evangelium ſcripſerunt. Cap. I. Domini Noſtri Jheſu Chriſti Doctrinam. quam in eius nomine lecturi ſumus. grece evangelium latine bonum nuntium dicitur* &c. Opus vero ipſum *fol.* 7. ſic: *Liber Generationis Jheſu Chriſti. Preterea ſi tota ſeries noui teſtamenti libri nomine accipiatur. in Capite libri ſcriptum eſt de domino* &c. Praeterea *Bandinio* Capita numerantur